



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 62. Protestantium Germaniæ Principum Legatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

genti prorsus pompa non armatorum modo, qui mille, ac ducenti fuere, sed Magistratum etiam, Præfectorumque provinciarum, ac Procerum aurei Velleris, Consiliique Senatorum: igitur Gubernatrix urbem ingressa Dei Matris Ecclesiam quam furentes hæretici devastaverant, recta petebat, ubi solemniter decantato gratiarum hymno ipsa dein animum ad ordinandam rempublicam intendit, ac prima quidem Sacrorum, Religionisque cura fuit; præprimis enim evocato Antverpianæ Cameracensi Episcopo, aras, ac templa, quæ sacrilegi aut diruerant, aut profanaverant, restitui, & statis ceremoniis expiari iussit, & de doctis, atque impigris animarum Pastoribus providit. Dein ad civitatis administrationem conversa quæstiones instituit de rebellionis capite, deque Magistratum sive ignavia, sive perfidia, ac simul indicem armorum, quibus populum exuerat, confici præcepit.

## §. LXII.

*Protestantium Germanicæ Principum Legatio.*

Rebus omnibus ita a Gubernatrice dispositis nuntiatur, adventare Legatos a Saxone, & Brandenburgio Imperii Septemviris, a Wirtenbergensi Duce,

Sæcul. XVI.  
A.C. 1567.

Sæcul. XVI  
A.C. 1567.

ce, Marchione Badensi, atque ab Haf-  
fiæ Landgravio missos, qui Gubernat-  
tricem adeuntes eidem libellum suppli-  
cem porregebant, cujus summa hæc  
erat: „ Proponimus Confessionem Au-  
„ gustanam, quæ Evangelio magis, quam  
„ Religio Catholicorum consona est, ideo  
„ hanc in inferiori Germania libere com-  
„ plectendam, aut saltem edictis, sup-  
„ plicisque non vetandam postulamus  
„ ac simul superioris Germaniæ Princi-  
„ pes orant, ne populi cetera innoxii di-  
„ vexentur hoc nomine, Hispanicæque  
„ censuræ minis, ac pœnarum immani-  
„ tate plectantur.

§. LXIII.

*Gubernatricis responsum ad hosce O-  
ratores ad alloquium admissos.*

Hac Oratorum temeritate Guberna-  
trix acriter offensa eos abesse vo-  
luit, ut hac super re liberum delibera-  
di spatium haberet; equidem illa hos  
sine responsione remittendos censebat,  
aliis tamen videbatur, per Scarem-  
bergium hæc esse his Legatis reponen-  
da: „ Ea, quæ de Religione dixistis,  
„ responso indigna sunt: ea autem, quæ  
„ pro excusanda rebellium, impiorum-  
„ que contumacia differuistis, ostendunt,  
„ Germanos Principes, minus fidei ha-  
„ buisse literis Hispaniarum Regis, ac  
„ Bel-